

APPROBATIO CENSORIS.

Recte prudenterque facis, vir clarissime, dum labores tuos theologicos sapientibus, probisque veritatis amatoribus disjudicandos committis. Sentient profecto hi, nisi omnia me fallant, id quod ego, qui tractatus tuos omnes, quos typis mandasti, pro officii mei ratione attente pervolvi, illos nempe, eleganti perspicuaque stylo elaboratos, nihil discipulis propinare, nisi quod a veneranda majorum traditione defluxit; qui (ut magnus Augustinus testatur *lib. II. contra Julianum*) quod invenerunt, tenuerunt, quod a patribus acceperant, hoc filiis tradiderunt. E purissimis itaque fontibus, sacra pagina, patrumque placitis doctrinam tuam hauriens sollicitate (monente Sixto III. P. M.) cavisti, ne perspicua majorum fides ulla coeni permixtione turbetur. Hinc factum est, ut quoties occasio tulerat, magna animi mei voluptate in futillum nugacium scholasticorum inventa imperterrito animo, vehementique impetu rueres, eorumque auctores perpetuo filere juberens, probe memor adagii: *conticescant ranæ, dum cœlum tonat.*

Ita sentio kalendis Septembris MDCCLXVI.

S. A. nob. DE STOCK sacr. facult. Casareo-regius præses & director.